

« Si quis ex clericis comam laxaverit, anathema sit : » Concordat can. penult. dist. 23. ubi jubentur clerici non nisi « attonso capite, patentibus auribus, etc. ministrare. » Atque etiam cap. v. h. t. ubi mandatur : « Clericus neque comam nutriat, neque barbam. » Adeo, ut clerici, qui comam nutriunt, etiam inviti a suis archidiaconis, seu superioribus tonderi jubeantur, can. Clerici, qui comam, dist. 23. et c. Clericis. 7. h. t. cum similibus. Atque istud merito constitutum fuit, juxta illud divi Apostoli I. Corinth. xi, 14. Vir, si comam nutriat, ignominia est illi.

88. Adeo, ut transgressores peccent, possintque excommunicari. — Patet proinde, quod clerici nutrientes comam peccent : cum sint transgressores præcepti a tam multiplicibus sacris canonibus impositi. Adeo quidem, ut etiam possint excommunicari, juxta illud ex cap. iv. h. t. jam allegatum, *Anathema sit* : hoc est, fiat, seu excommunicetur. Non enim est excommunicatus ipso jure, uti notat Glossa fin. cit. cap. iv. et Abbas, ibid. n. 1. et Barbosa n. 2. et 5. h. t. Quin imo ex gravitate hujus pœnæ colligunt doctores, quod clericus relaxans comam, peccet mortaliter; ac proinde absolutio sacramentalis eidem sit deneganda, vel differenda, donec comam deposuerit; alioquin enim dignus est anathemate, seu excommunicatione, qualis pœna non nisi pro peccato mortali imponi solet. Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. xl. n. 11. allegans alios : atque istud intelligens, quando quis monitus generaliter, vel specialiter, in relaxanda coma perseverat : tunc enim propter inobedientiam dignus est excommunicari, et peccat mortaliter, ut advertit Sargus in *Clavi Regia.* l. III. cap. vii. n. 25. (ADNOTATIO XXXI.)

89. Nisi subsit justa causa comam nutriendi, seu relaxandi. — Limitatur tamen data conclusio, quando subest justa causa comam nutriendi, seu relaxandi : puta, ut hac ratione tutius quis Romam ire, vel aliud iter necessarium perficere queat. Glossa cap. iv. §. Relaxaverit. h. t. et alia Glossa cap. penult. §. Causa. eod. juncto textus ibid. Qua de causa etiam fratres minores in partibus turcicis degentes, barbam nutrire coguntur, ne Turcarum offensam incurrant, atque a locis sacris Terræ sanctæ penitus expellantur : ut taceatur privilegium apostolicum gestandi barbam nonnullis religionibus specialiter concessum.

90. Potest excusari praxis clericorum ges-

tantium comam fictitiam, seu peruccam. — Et hac ratione etiam excusari poterit praxis quorundam clericorum gestantium comam fictitiam, seu peruccam : dummodo hanc non gerant ex inani gloria, vanaque quadam ostentatione, sed ob debilitatem capitis, aut aliam hujusmodi rationabilem causam.

91. Missam vero celebrare cum coma fictitia, absque legitima dispensatione, est prohibitum. — Celebrare autem tremendum Missæ sacrificium cum coma fictitia, seu perucca, absque legitima dispensatione, licitum non est. Siquidem per ejusmodi comam fictitiam, sive peruccam, caput velari, seu cooperiri, manifestum est : atqui Zacharias papa in *Synodo Romana*, cap. xiii. et 14. ac refertur can. *Nullus episcopus, de consecrat.* dist. 1. sub pœna excommunicationis prohibuit, ne quis velato capite altari assisteret, illis verbis : « Nullus episcopus, presbyter, aut diaconus, ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altari Dei assistere : quoniam et Apostolus prohibet (I Corinth. xi, 14.) viros velato capite orare in Ecclesia : et qui temere præsumpserit, communionem privetur. » Hæc ibi. Concordant rubricæ Missalis, quæ tit. X. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, inter alios ejusmodi defectus (in quibus ut plurimum accidit peccatum mortale, prout notat Barthol. Gavantus ibid. n. 1. §. Numerantur) etiam ponitur sequens, videlicet : « Si celebret capite cooperto sine dispensatione. »

92. Et quis possit talem dispensationem concedere? — Et talem dispensationem non nisi a Sede apostolica concedi posse, censuit sacra Rituum Congregatio, 31. Jan. 1626. et 24. April. eod. an. prout refert Gavantus in *Comment. in Rubric. Missal.* part. II. tit. II. n. 2. vers. *Verum.* et seqq.; addita ea ratione, quia, cum citatus can. *Nullus episcopus, de Consecr.* dist. 1. non solum presbyteris, sed etiam episcopis prohibeat, velato capite altari assistere; ergo hoc ipso nequit episcopus dispensare. Nam iste non dispensat contra canones, ipsi etiam episcopo legem imponentes, nisi in quantum reperitur concessum, arg. c. *Dilectus* 15. *de Temporib. ordinat.* estque notabile dictum Joan. Andreæ in cap. i. n. 3. *de Supplend. neglig. prælat.* in 6. et Hostiensis ibid. ac notat Sylvester §. *Dispensatio*, q. 13. et Gavantus loc. cit. contra alios; qui quidem asserunt (inquit) dispensationem hanc fieri posse, sed non probant.

§ IV.

DE QUALITATE HABITUS CLERICALIS, ET PœNIS EUM NON DEFERENTIUM.

94. Qualem habitum jura præscribant, vel prohibeant clericis? Oportet clericos, vestes proprio congruentes, ordini semper deferre. — Quaritur I. Qualem habitum jura præscribant, vel prohibeant clericis? Resp. I. « Etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitu nesci morum honestatem intrinsicam ostendant. » Verba sunt concilii Tridentini, sess. 14. c. 6. *de Refor.* gravissimas pœnas in transgressores subjungentis, de quibus in progressu. Concordat can. *Clerici.* dist. 23. ubi dicitur : « Vestimenta etiam vel calceamenta eis (clericis) nisi quæ religionem deceant, uti, aut habere non liceat, » cum similibus. Quamquam hujusmodi obligatio solummodo concernat clericos in ordinibus sacris constitutos, aut beneficium ecclesiasticum habentes, juxta dicta n. 69.

95. Clerici clausa debent deferre indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. — Resp. II. Specialiter autem clericis injungitur, « ut clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda. » Textus est in c. *Clerici officia.* 15. h. t. quod est desumptum ex concilio generali, seu Lateranensi, sub Innocentio III, celebrato. Ubi loquendo de episcopis, subjungitur : « Pontifices autem in publico, et in Ecclesia, superindumentis lineis omnes utantur : nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem. Palliis diffibulatis non utantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hinc inde connexis. » Hæc ibi.

96. Atque induere vestem talarem. — Deinde in concilio Martini papæ, quod refertur can. penult. dist. 23. jubentur clerici secundum Aaron talarem vestem inducere, ut sint in habitu ornato. Quod ipsum postea præcepit Sixtus V. in sua constitutione 62. quæ incipit, *Cum sacrosanctum*; sub gravissimis pœnis statuens, ut clerici beneficium ecclesiasticum, seu pensionem habentes, « Tonsuram et habitum clericalem, vestes scilicet talares deferant : » ut jam dictum supra n. 64. et seqq.

97. Quid intelligatur per vestem talarem. — Pono per *Talarem vestem* in rigore intelligitur illa, quæ pertingit usque ad talos; sicque hominem usque ad primam partem pe-

93. Refertur edictum, de mandato Innocentii XII, in diocesi Frisingensi desuper publicatum. — Huc accedit novissimum Mandatum S. D. N. Innocentii papæ XII. volentis, ut per suos nuntios monerentur ordinarii locorum, ut contra abusum celebrandi cum coma fictitia congrua adhibeant remedia : ratione cujus in diocesi Frisingensi ubi hæc scribo, sequens edictum publicatum fuit.

« Nos Josephus Clemens, Dei, et apostolicæ Sedis gratia archiepiscopus Coloniensis S. R. imperii per Italiam archi-cancellarius, et elector, sacre apostolicæ Sedis legatus natus, episcopus Frisingensis et Ratisponensis, administrator Berthesgadensis, utriusque Bavarie, et superioris Palatinatus, nec non Westphalie, et Ungarie dux, comes Palatinus Rheni, Landgravius Leuchtenbergicus. »

« Cum non sine scandalo tam hæreticorum, quam etiam catholicorum, abusus detestandus in Germaniæ diocesis, et etiam in nostra irreperit, ut aliqui sacerdotes tam in dignitatibus majoribus, quam minoribus constituti, ut et alii non vererentur sacrosanctum et tremendum Missæ sacrificium absque sacerdotali reverentia (quæ soli Deo omnium maxima debetur) cum coma fictitia Deo offerre; ita ut Sanctissimus Noster divina providentia Innocentius papa, hujus nominis XII. commotus fuerit, ordinarios locorum per suos nuntios monere, ut contra dictum abusum congrua adhibeant remedia : prout desuper in litteris ab Illustrissimo et Reverendissimo Nuntio apostolico Viennensi, sub die 7. Sept. An. 1692. requisiti fuimus. »

« Quocirca adimplentes mandatum sanctæ Sedis Vobis abbatibus, præpositis, decanis, rectoribus, guardianis, prioribus, et plebanis, cæterisque clericis tam sæcularibus, quam regularibus diocesis nostræ Frisingensis præcipimus, et mandamus in virtute sanctæ Obedientiæ, quæ sanctæ Sedi, et Nobis adstricti existitis, ne in posterum aliquis Vestrum præsumat, cum coma fictitia (sub quacunque etiam licentia, nisi apostolica sit) Sacrificium Deo offerre, et Missas legere, vel alicui (cujuscunque etiam dignitatis existat) in vestris ecclesiis concedere, quominus noveritis actualem suspensionem ab officio, et beneficio incursum. Datum Frisingæ, die 18. septembris 1692. »

« JOANNES SIGISMUNDUS ZELLER, L. B. coadministrator in spiritualibus, etc. Vicarius generalis. »

dum tegit. Verum Garc. part. II. *de Beneficiis*, cap. I. n. 21. et 22. cum aliis notat, epicheia et æquitate, etiam illas judicari vestes talaris, quæ juxta consuetudinem locorum clericis sunt decentes, quamvis non sint nimis longæ, nequæ ad pedes descendant. (ADNOTATIO XXXII.)

98. *Quoad alia habitus clericorum non reperitur in jure determinatus, etc. Intelligenti istud, affirmative: secus negative.* — Resp. III. Quantum ad alia habitus clericorum non reperitur in jure determinatus, ac proinde erit attendenda consuetudo locorum, in qua commorantur. Ita Glossa in Clem. 1. *ŷ. Sæcularis. de Election.* et alia Glossa c. *Clerici officia. ŷ. Deauratis* et Abbas, ibid. n. 17. h. t. Alexander, consil. 8. n. 4. vol. I. Jul. Clarus, lib. V. *Pract. criminal.* § fin. quæst. 36. n. 14. asserens, hanc esse veram conclusionem, si affirmative intelligatur, scilicet, quod sacri canones non constituent specialiter clericis certum habitum; sed negative non sit vera, cum multi habitus clericis prohibeantur, juxta dicenda in progressu Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* cap. XL. n. 20; Belletus, part. I. § 16. *de Disciplin. clerical.* n. 12. et alii. Ratio est, quia nullibi potest assignari, certum habitum pro clericis sæcularibus in jure fuisse præscriptum, saltem affirmative, seu quem portare teneantur. Unde etiam novissime concilium Tridentinum hujusmodi clericis determinatum habitum non præscripsit; sed sess. 14. cap. VI. *De Refor.* verbis duntaxat generalibus asseruit quod « oportet clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre. » Idemque repetit sess. 24. cap. XII. circa fin. *de Refor.* inter alia præcipiendo, ut clericis « vestitu insuper decenti tam in Ecclesia, quam extra, assidue utantur. » Quod ut melius intelligatur,

99. *Vestes clericorum non sint pomposæ, nec sordide; sed inter utrumque præ se ferant medium.* — Quæritur II. Quæ requirantur ad conservandam debitam qualitatem, sive decentiam vestium clericalium? Resp. I. Ut veste clericorum censeantur decentes, requiritur imprimis, ut nec sint pomposæ, aut vanam jactantiam reddentes, can. *Parcimoniam.* dist. 41. et can. *Omnis jactantia*, ac seqq. 21. q. 4. cum similibus; nec sordidæ, vel laceratæ, ne vilescat dignitas clericalis; sed inter utrumque præ se ferant medium aliquod, uniuscujusque statui et ordini conveniens. Ita Abbas c.

Clerici officia. 15. n. 17. h. t. Belletus cit. § 16. n. 18. et seqq. et communis aliorum. Unde sanctus Hieronymus in epist. *ad Nepotianum*, cap. 1, sic scribit: Vestes pullas æque devota, ut candidas: ornatas, ut sordes pari modo fugiendæ sunt: alterum delicias, alterum gloriam redolet. »

100. *Earum decentia comprobatur ex eo, si sint conformes consuetudini provincie, in qua clerici commorantur: idque declaratur. Romæ non de facili distinctio habitus clericalis haberi potest: et cur?* — Resp. II. Decentia vestium clericalium comprobatur ex eo, si sint conformes communi usui proborum clericorum, seu consuetudini provinciarum, in qua clerici commorantur: nam consuetudo est optima legum interpret, c. *Cum dilectus.* 8. *de Consuetud.* et 1. *Si de interpretatione.* ff. *de Legib.*; Glossa cit. c. *Clerici officia. ŷ. Deauratis.* h. t. Belletus, ubi supra, n. 12; Farinacius, lib. I. *Praxis criminal.* quæst. 8. n. 69. et alii. Unde card. de Luca in Annotat. *ad S. concilium Trident.* discurs. 24. n. 22. ac 23. et 30. et 31. inter alia dicit, quod quidem vestis clericalis, ex sacrorum canonum præscripto, vere ac proprie illa sit, quæ est inter genua et talos: varius tamen sit locorum, ac respective personarum usus. Quomam in civitatibus, aliisque locis civilibus, in quibus cum decore vivitur, vestes clericales sunt longæ ultra talos: in parvis autem, vel obscuris locis, ob clericorum paupertatem, vix ad genua ascendunt; ita tamen ut ob diversum usum a sæcularium vestibus adhuc distinguantur, attendendo simul ad diversitatem regionum, vel personarum vario usus. Etenim in Urbe (inquit citatus auctor) et Statu ecclesiastico, aliisque forsan Italiæ partibus, non de facili certa distinctio habitus clericalis haberi potest, eo quod antiquus retineatur usus togæ in aliquarum scientiarum professoribus, seu gradum doctoratus habentibus, ipso amussim modo, quo utuntur clerici. Plura de hoc card. de Luca, ubi supra.

101. *Clericis prohibitum est, uti publice pannis rubeis, aut viridibus.* — Resp. III. Ad conservandam decentiam vestium clericalium nonnulla reperiuntur, quæ quoad formam et colorem habitus per sacros canones specialiter sunt clericis interdicta. Ita communis; et patet inductione. Sic quippe vestium rubeum, aut viridem, expresse prohibet clericis concilium generale, relatam c. *Clerici officia.* 15. h. t. illis verbis: « Pannis

rubeis, aut viridibus, nec non manicis, aut sotularibus consutiis non utantur. » Concordat clem. 2. in fin. h. t. ubi pariter præcipitur, ut « clerici, præsertim beneficiati, caligis scacatis, rubeis, aut viridibus publice non utantur: » haud obstantem, quod istis coloribus locus sit in Missæ sacrificio.

102. *Exceptis cardinalibus, qui utuntur galero rubeo; et episcopis, quibus permittitur color viridis.* — Excipiuntur cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ quibus (nisi fuerint religiosi) uti licet vestibus purpureis, ac præsertim galero rubeo, quo cardinales uti voluit omnium primus Innocentius IV. prout in ejus vita scribit Platina; et notat Menochius, lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 392. n. 6. et seqq.; et Barbosa, lib. I. *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XL. n. 22. citans alios; atque hic etiam excipiens episcopos, quibus permittitur color viridis. (ADNOTATIO XXXIII.)

103. *Estque prohibitum clericis, uti vestibus fulgidis, partitis, aut diffibulatis.* — Deinde clericis prohibitum est, uti vestibus fulgidis, aut variatis ex sericis texturis, vel variorum colorum ornamentis; prout in septima synodo statutum fuit, atque refertur can. *Omnis.* 21. q. 4. præmissa illa ratione: « Quia omnis jactantia, et ornatura corporalis (quæ fit causa voluptatis, ut explicat Glossa ibidem) a sacro ordine aliena est. » Concordat can. *Præcipimus*, ead. caus. 21. qu. 4. Insuper prohibetur eidem clericis, ne unguentis unguantur: intellige, non propter ægritudinem, sed ut melius redoleant causa voluptatis. Textus, et Glossa *ŷ. Qui unguentis.* cit. can. *Omnis.* Item, ne utantur vestibus fucatis, seu virgatis, aut partitis (hoc est, cum scissuris vanitatem redolentibus) neque diffibulatis, aut quamdam superfluitatem præ se ferentibus, can. *Præcipimus.* 21. q. 4. et c. *Clerici officia.* 15. h. t. clem. 2. eod. Ubi etiam diversæ pœnæ statuuntur illis, qui hujusmodi prohibitis vestibus publice utuntur: nisi forsan subsit rationabilis causa transformandi habitum, puta, ad occultandum statum clericalem ex timore aliorum gravium incommodorum; prout ibidem limitatur, et inferius ex professo dicitur.

104. *Vel frænis, sellis, pectoralibus, calcariibus deauratis, corrigiisque auri, vel argenti ornatum habentibus.* — Rursus prohibitum est clericis, « ne frænis, sellis, pectoralibus, calcariibus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus, utantur — Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti or-

natum habentes: sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio, dignitatis. » Ita inter alia decrevit concilium generale, relatam d. c. *Clerici officia.* 15. h. t. Nec immerito: quia clerici non debent in vestibus, vel calceamentis decorem quærere, sed honestatem, can. *Clericus.* dist. 41. Quinimo, ut proxime dictum est, omnis jactantia, et ornatura corporalis, atque superfluitas ab ordine sacro penitus debet esse aliena, can. *Omnis.* et can. *Præcipimus.* 21. quæst. 4. et cap. I. *Ne clerici vel monachi,* etc. Tacentur similia, de quibus Belletus cit. part. I. § 16. *de Disciplin. clerical.* n. 4. ac seqq. et Barbosa d. cap. XL. n. 47 et seqq. aliique passim. (ADNOTATIO XXXIV.)

105. *Quæ sunt pœnæ clericorum non deferentium habitum, et tonsuram clericalem? Hæc quæstio non habet locum in clericis minoristis, nullum beneficium habentibus.* — Quæritur III. Quæ sint pœnæ clericorum non deferentium habitum, et tonsuram clericalem? Hæc quæstio procedit duntaxat de clericis constitutis in ordinibus sacris, aut beneficium ecclesiasticum obtinentibus: nam quod clerici minoristæ, ac nullum beneficium habentes, ad delationem habitus et tonsuræ clericalis non teneantur, sicque ex omissione istius nullam pœnam mereantur, nisi quod non gaudeant privilegio fori, jam dictum est supra § præced. n. 69. et seqq. Verum loquendo de cæteris.

106. *Referuntur pœnæ in concilio Tridentino, sess. 14. cap. VI. de Reform. contra clericos non deferentes habitum clericalem statutæ.* — Resp. I. Clerici habitum ordini, et dignitati convenientem non deferentes, si moniti ab episcopo, etiam per edictum publicum, respiscere noluerint, imprimis puniendi sunt per suspensionem ab ordinibus, officio, et beneficio; quod si semel moniti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum coerceri possunt, ac debent. Textus est in concilio Tridentino sess. 14. cap. VI. *de Reform.* ubi in hæc verba statutum habetur: « Propterea omnes ecclesiasticæ personæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint, si, postquam ab episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini, ac dignitati congruentem, et juxta ipsius episcopi ordinationem, et mandatum non detulerint; per suspensionem ab ordinibus,